

## De Suppositionalitate Ejvsqve Usu, Christo Secundante ...

Rostock: Typis Johannis Weplingii, 1703

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1860708668>

Druck Freier  Zugang



R.U.-phil 1703  
Rumpaeus, Justus Wesselus



33

I. N. I.  
DE  
SUPPOSITA-  
LITATE  
EJVSQVE USU,

Christo Secundante,

*Amplissima Facultate Philosophica permittente;*

In celeberrima Rostochiensium Academia

PRÆSIDE

DN. M. JUSTO WES-  
SELO RUMPÆO,  
Gvestphalo,


*Præceptore suo venerando.*

A. O. R. M DCCIII. Ad diem XIV. Aprilis

*In Auditorio Majori publicè disputabit*

*horis consuetis*

CHRISTIANUS Schüße /  
Colonienf March, Phil. ac SS. Theol. Stud.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Univ. Typogr.

J. N. I.  
DE

SUPPOSITA  
LITATE  
EIVSQUE USU

Ch. No. Secundane,

In celeberrimo Rostochensi Academia  
Medicorum Philosophiae permissis

PRÆSIDÆ

DR. M. JUSTO WES-  
SELO RUMPHÆO,  
Vestphalo,

Præceptoris suo commendat.

A. G. R. M. DCCIII. Ad diem XIV. Aprilis

In Auditorio Magnifico hujus Universitatis

habeat lecturam

CHRISTIANUS BOHNER

Collegii Medicæ hujus Academiæ Theol. Stud.

in Rostochiensi Academia Medica Philosophica

ROSTOCHI.

Typis JOHANNIS WERNIGER, Vind. Typogr.

# PRÆFAMEN.



Nter Controversias, quæ in Metaphysicorum Scholis agitantur, nostro quidem iudicio tres Illustræ eaq; subtilissimæ eminent; quando primum de Unitatis ratione formali, ipsa indivisione, quid illa unitati superaddat? controversi solet. Diversas namque diversorum hic invenimus sententias. Pro negativo Thomistæ & nostris *Eb. Scheiblerus, Ebelius & B.D.D. Bechmannus*; pro Positivo v. Scotistæ, quos recentiorum plurimi sequuntur, pugnant. Sed qui negativum clamant, nondum concordés suat, dum aliqui negationem puram; aliqui privativam; aliqui vero præcisivam, à pura & privativa negatione abstractam defendunt. Positivum qui asserunt, non realiter, sic enim processus, à quo omnis sana abhorret Philosophia, fieret in infinitum, sed ratione tantum, quæ habet fundamentum in re, ab ente distinctum, vehementer propugnant. Altera, quam inter illustriores meritò, quæ apud Metaphysicos agitantur, referimus Controversias, concepta est de formali universalis, non antè rem, (Platonici) nec post rem, (Logici) Sed in re, (Metaphysici) de quo multa etiam disputari solent; An sit ens reale? ut *B. Rudraufius* & qui eum sequuntur; An verò ens rationis; & quale? An rationis ratiocinatæ, ut plurimi è Jenensibus, quos sequitur *b. Faustius* in peculiari de hoc Argumento dissertatione Argentorati habitata apud *b. Weissium in Compendio Metaphisico p.m. 38.* & si est ens rationis ratiocinatæ à qua intellectus operatione, an à prima, an verò à secunda proveniat? Quod sit ens rationis ratiocinantis ab ente non nisi solo nomine distinctum veteres Scholastici Nominales dicti totis contenderunt viribus. vid. Regii Disput. Logicæ. Tertium, quod inter Metaphysicas Controversias illustriores meritò referendum, est, quam nunc tibi L. B. exhibemus, *Suppositivitas, quid illa Substantia superaddat?* Miraberis fortassè, quod tales Grillos tibi in hac quidem Academia, ubi politiora tradi solent, exhibeamus. Sed scias Grillos hos sua non destitui utilitate. Si nescis quid sit suppositivitas, ignoras quid est Persona, quæ autem igno-

ignoratâ, quomodo Myſterium S.S. Trinitatis venerandum & tremendum contra Anti-Trinitarios veteres & recentiores (quosdam indigito Fanaticos, qui ſuis Fanaticis opinionibus ſi non deſtruunt tamen labefactant hoc Myſterium), cum Orthodoxis defendes? Quomodo Myſterium Incarnationis contra Socinianos factum te- cumque ſervabis? Et cur quæſo, noſtri Theologi tantopere pro vocabulis Perſonæ, & ὑποſτάſεις contra quosdam recentiores dimicant, ſi meri hiſunt Grilli? Hæ cauſæ ſunt, quæ nos moverunt, ut ſpecimen aliquod Metaphyſicum in Lucem emiſſuri hanc præ alia ſelegerimus materiam. Quam vero Duobus comprehendemus Capitibus, quorum alterum ὀνομαſτολογία, alterum verò πραγµατιſτικόν cum ſubjuncto uſu exhibebit. Tu verò DEUS! faxis ut omnia feliciter!

## CAP. I.

De

ὀνομαſτολογία.

§. 1.

**D**E ſuppoſitalitate acturi deprecari fortè humillimè veniam deberemus à Mancupio Tullianorum capitonum, qui Latio adſveti ne dicti quidem gratiam alteri faciunt, niſi in ipſa urbe ſit natum, aut ſaltem ſoleni hac ſit formula excuſatum; *Ignoſcite manes Tulliani! Pace tua, bone Cicerone! Liceat mihi ita loqui!* &c. At enim verò cum rigidi hi cenſores ſine populi ſuffragio tantam ſibi poteſtatem ſumant aut ab aliis emendicent, qui vix ſupremis labris prima Philoſophiæ attigerunt elementa, conf. *Mafius Diſp. Metaph. de Tranſcendentibus Lib. 1. c. 2. p. m. 7.* ſibilis potius à Philoſophorum Cathedra ſunt explodendi, quàm infrunitum eorum iudicium in aliquo pretio habendum, *Ebelius Diſp. Collegii Metaph. de ente ejuſq. conceptu & quidditate ſect. 1. in operibus Philoſoph. p. m. 755.* Nos memores, rerum majorem quam verborum copiam dari, teſtantibus terminis æquivocis quos ex defectu vocabulorum fieri palam eſt: Et ſuffragante *Scaligero* apud *Scheiblerum part. 2. Operis Logici p. 280. exercit. 307. ſect. 22. & exercit. 101. ſect. 14. Conf. Ramus in Scholiis Dialecticis p. 91.* Illumque, qui poteſtatem habet ſcribendi, etiam poteſtatem habere nova verba condendi, adſtipulantibus Freyſtellionatu }ctorum, Julapo ac Syrupo Medicorum

dicorum, Vid. *Danbauri Horologia p. m. 2.* Hinc *Aristoteles Lib. Categ. Philosopho*, inquit, *λίκεν ὁνομαστικόν*. Cont. *Frommii Metaph. partigen. lib. 1. cap. 2. Probl. 1. An Metaphysicus teneatur semper purè loqui? p. m. 52. sqq.* Censemus Philosophum scrutandarum rerum sagacem & in imo Democriti puteo abditum, quem in Libertatem Liberatrix Jovis asseruit, maximo jure retinere posse Hæccecitates, Causalitates, Identitates, Perfeitates & ceteros terminos Philosophicos, primore quidem auditu horridos ac inconditos, ast ipsius rei oppido bene explicativos & longo usu tantum non domesticos factos. Quibus accensemus etiam *suppositivæ* vocem, cujus naturam curatius indagaturi Dichotomiæ factæ primum Caput de *ὀνομαστικῶν* aggredimur, in quo tria melioris methodi ergò consideranda veniunt, (1.) *Notatio* (2.) *Æquivocatio*, (3.) *Identificatio*. Illa Etymologiã sive nominis definitionem; *Ista* Homonymiam sive nominis distinctionem; *Hæc* Synonymiã sive nominũ æquivollentiũ expositionem pertractabit.

S. 2. Ad *Notationem* quod attinet, hic prænotandum, quod *suppositivitas* velut abstractum suum respiciat concretum. Est enim ipsa forma denominans, quæ in quidditativo & essentiali suo conceptu subjectum e quidem non connotat, attamen à parte rei & ratione actualis existentie sine subjecto nusquam datur, veluti albedo extrarem albam nunquam invenitur, an verò etiam potentiam neget extra existentie sive perfeitatis in ordine ad potentiam Dei absolutam, nunc non disputamus. Cum igitur nullum sit denominans, quin sit quoque quod denominetur, non malè fortassis fieret, si ob mutuum illum abstracti & concreti respectum in Etymologiæ explicatione utrumque combinarem, maximè cum non parum inde luminis toti nostræ Tractationi sit affulsurum. Derivatur *suppositivum* ratione Etymi à *suppono*, compositã voce à Præpositione *Sub* & verbo *pono*, sed ob regulam Grammaticorum: Ultima consonans præpositivonis in compositione mutatur plerumq; in primam consonantem verbi. conf. *Rhenii Gram. lat. p. m. 10.* in faciliori pronuntiatione fundatam mutatã B. in P. dicitur *Suppono*, non *Subpono*, quemadmodũ dicimus collaudo, non conlaudo, adeoq; *Suppositivum* non *Subpositivum*. Est verò *suppono*, explicante *Calepino*, quasi *subter pono, subijcio*. Hinc *Cicero Lib. I. de natura Deorum*; *Quin etiam anatum ova gallinis sæpè supponimus*; è quibus pulli orti primum aluntur ab ijs, ut à matribus &

quibus exclusi foris sunt. Et Columella Lib. 8. cap. 8. semper autem, inquit, cum supponuntur ova, considerari debet, ut Luna crescente à decima usque ad quintam decimam id fiat; nam & ipsa suppositio per hoc ferè dies commodissima. Atque ita vi vocis Suppositum est, quod sub alio positum. Thomas part. 3. qu. 2. Art. 3. Originationem vocis inde accessit, quod suppositum dicatur, quia supponitur his, quæ ad rem pertinent eorum prædicationem recipiens. Armandus de Bello Visu Lib. 2. Terminorum cap. 289. existimat, suppositum dici quod sub alio positum, quia scilicet naturæ communi (cujus respectu Suppositum dicitur) supponitur. Ubi insimul bifariam aliquid alii supponi animadvertit, uno modo sicut inferius particulare supponitur superiori universali in quo continetur natura communis, ut Petrus supponitur homini, Bucephalus Equo, hic Milvus Milvo. Et in hoc genere inferius subsistit per se, superius autem non subsistit per se, sed per inferius. Estque hoc suppositum id, de quo loquimur & maxime appropriatur substantiis, inò solis Substantiis, vid. Stablius part. 2. Regular. Philosoph. p. m. 14. Aliter autem supponitur aliquid alii ut Concretum abstracto quomodo supponitur Canis Caninitati & homo humanitati, & tunc Canis & Homo dicuntur Supposita, Caninitas autem & Humanitas dicuntur naturæ. Ideoque quia tam in Accidentibus quam Substantia reperitur concretum & abstractum in particulari & universali, proinde suppositum sic conceptum in substantia & accidente juxta reperitur, quinimò non solum in singularibus sed etiam in universalibus. Socrates igitur & homo & album & hoc album hoc sensu sunt supposita: Socrateitas & Homineitas & Albedo sunt naturæ vid. Scheibleri Opus Metaph. part. spec. cap. 2. Art. 2. de supposito puncto 1. n. 40. p. m. 21.

S. 3. Succedit Equivocatio, quæ, uti omnis erroris est generatrix, ita eò diligentius est adnotanda. Sumitur ergò vox suppositi (1.) pro eo quod alteri quasi subitus positum est, ita Cervical nomen suum inde habere videtur, quod cervici supponitur, illique dormientis caput & cervix innitur. Suppositus pro suppositus apud Silium Lib. 3 v. 90.

Nos clause nivibus rupes, suppositaq; calo  
Saxa manent.

(2.) Pro eo quod alteri commissum sive commendatum est: Hinc Poeta:  
Quum

Quum Venus & Juno & Pallas in Vallibus Ida,  
Corpora Judicio supposuere meo.

(3) Ethicè pro signo obedientiæ, sic dicimus: Colla supponere iugo i. e. submittere, obtemperare, obedientem esse. Sic Ovidius Lib. Amerum 3. Eleg. 10. n. 10.

Prima Ceres docuit argere semen in agris;

Falce coloratas subsecuitq; comas.

Prima Jugis Tauros supponere colla coëgit.

Et veterem curvo dente revellit humanam.

(4) Pro sublesto & falso. Sic supponere est falsum loco veri subicere, Virgilius Lib. 6. Æn. v. 24. seqq.

Hic crudelis Amor Tauri, suppositaq; furto

Pasiphaë, Mistumq; genus, prolesq; biformis

Minotaurus inest, Veneris monumenta nefanda.

Terent. in Eun. act. 5. scen. 3. v. 2. Referam illi sacrilego gratiam qui hunc supposui nobis i. e. loco veri subduxit. Et eopse significatu dicimus supponere Testamenta i. e. falsare testamenta sive falsa testamenta supposita persona obsignare, autore Cicerone pro Cluentia qui supposita persona falsum testimonium obsignare curavit. Et eodem Lib. V. de Legibus, Jus esset Latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragia aut scitis multitudinis probarentur. Hinc suppositor vel suppositrix qui vel quæ aliquid falsum dicit sive adulterium pro vero supponit. Suppositrix puerorum habet Plautus Trucul. act. 4. scen. 2. v. 50. Et supposititium quod alterius loco pro vero & nativo positum, ut Evangelium Bartholomæi & Thomæ supposititium est; Egesippi scripta magna ex parte supposititia sunt.

(5) Pro termino in enunciatione pro suo significato positio: Hinc notabilis illa & Scholasticorum & Summulistarum Doctrina Logica de Suppositione. Conf. Aristoteles lib. 1. Sophist. Elench. cap. 1. (6) Pro præcognito vel postulato, undè & Præsuppositum dicitur. Ita ad definiendum supponitur notitia vocabuli, ad demonstrandum aliquam passionem de subjecto per principia supponitur subjecti existentia & quæstio; An sit? (7) Pro Substantia singulari completa & incommunicabili, uti Stahlus definit part. 2. Reg. Phil. p. m. 14. Ex variis hæc Suppositi acceptionibus ultima sola est, quæ hic investigatur, reliquis hinc exesse jussis. Et consideratio Thematis nostri de Suppositi-

talitate quæ intimæ in Substantia implicatur, & primum ejus in certo statu conceptum fundat, adeo ut quæ extra hunc scopum vagantur, qualia sunt omnia ea significata quæ ad senarium usq; numerum exclusivè sunt recitata presenti nostro negotio porro non deserviant.

§. 4. Properamus ad *Identificationem* sive *Synonymiam*, ubi *Philosophus* quidem, qui revelatione θεοπέτυς δὲ destituitur Supposito coæquat substantiam primam. Certum est, inquit *Stablius quæst. 2. Reg. Phil. p. m. 12. quæ nobis supposita dicuntur, ea Aristoteli venire voce Substantiæ primæ qualis est aliquis homo, aliquis equus.* Et *Svarezius Disp. 34. Disputat in rebus creatis idem penitus esse Suppositum & Substantiam primam.* Quo minus tamen huic sententiæ subscribamus Christiani, obstat exemplum personæ Christi compositæ, cujus humana quidem natura est Substantia prima nequaquam tamen Suppositum, nisi Nestorianismus ex orco revocari debeat, de quo infra. Pariter nec Personæ vox ob angustiores ambitum est accommodata, sicut nec singulare, hoc aliquid, individuum ob laxiorem. Potius inter Synonyma suppositi vocabula ὑποκείμενον & subsistentiæ specialis connumeranda veniunt. ILLA enim si concretè sumitur pro ὑφισταμένῳ (alias enim ὑποκείμενον acceptiones hic non attendimus, de quibus prolixè *Clariss. Dn. M. Mascou Disp. de Subsistentiæ speciali §. 3. Calovius Metaph. divina part. spec. p. m. 81. D. D. Hebenstreit Phil. prima p. 267. seq.*) æquipollet supposito; sin abstractè pro ratione sive differentia, quæ ultra ὑφισταμένους naturam nostro intelligendi modo ultimè apprehenditur in re subsistente, suppositalitati. vid. *Scheibl. Libr. 2. Operis Metaph. cap. 2. punct. 3. Art. 3. n. 47. p. m. 22. Ebelius Coll. Metaph. part. spec. Disp. 1. sect. 2. Art. 3.* HÆC verò facit ipsam suppositalitem sive cum suppositalitate coincidit, vid. *Dn. M. Mascou l. c. & c.*

## CAP. II.

De

Ἠγεγυματολογία & subnexo usu.

§. 1. Consideratis iis, quæ ad τὸ quid Nominis spectare videbantur, nunc accessum paramus ad τὸ quid rei. Horror subit, si intueor, quam operosè in hac materia Philosophi laborent, perpetuo divortio à sese scissi & in unam sententiam quantumvis licet omnes ingenii vires effundant, coalescere tamen nescii. *Thomas suum*

suum positivum, negativum *Scotus* clamat, (ut aliorum sententias discrepantes infra adducendas nunc taceamus) & cujusvis alicuius Pietate in Magiltrum haud satis scio an superstitione ineptus mavult (teste de *Lyceto Fonseca Lib. 5. Metaph. cap. 8. qu. 6.*) haberi expositor, quam Autori suo improbabilem attribuere opinionem. Hinc illæ Lacrymæ! Et facilius Lucem tenebris, Lupum ovibus, crocodillum homini constabulareris, quam horum differentium animos coadunares. Factum indè quoque; ut dum quisque suam mordicus tenet sententiam, ad extremas delapsi subtilitates utilissimam hanc materiam immanè quantum intricaverint. Nos inoffenso pede in ardua hac materia ut progrediamur constituta definitione ea quæ illi illustrandæ erunt necessaria annotabimus, usumque; subjiciemus.

§. 2. Quod ergò ad ipsam Supposititalitatis Definitionem attinget, equevidem prænotamus, accuratam ejus, quæ Logicum sustineat rigorem, dari non posse; Quis enim in Transcendentalibus & modis ad quos Supposititalitas spectat propriè sic dictam expectabit definitionem? vid. b. *Jacob. Martini Lib. 2. de Trib. Elob. cap. 13. p. 83. & Præcellentiss. Dnus. M. Mascou l. c. §. 6.* Diversam tamen qualemcumque Supposititalitatis descriptionem apud diversos invenies. vid. b. *Ebelius Colleg. Metaph. publ. part. spec. Disp. 2. Sect. 1. Rudrauf. Instit. Metaph. p. 628. seq. Scheiblerus Op. Metaph. Lib. 2. cap. 2. Art. 2. punct. 2. n. 41. seq.* Nos salvis aliorum judiciis hanc damus: **SUPPOSITALITAS** est modus substantialis positivus substantiæ complete singularis ultimato & incommunicabiliter subsistentis. Ut huic descriptioni Lucem lucremur duo hic circa Supposititalitatem observamus, alterum materiale quod etiam *Subiectum*, vocabulò laxius acceptò, vid. prælaudat. Dnus. M. Mascou *Disp. cit. §. 6. ab init.* alterum verò formale, quod etiam *ratio formalis*, vocatur.

§. 3. Materiale sive *Subiectum* Supposititalitatis vocamus *Substantiam singularem & completam*. Quid substantiæ nomine veniat de eo inter Philolophos non convenit. Vetustior & communis sententia est *Substantiam esse ens per se subsistens*, quam verò Definitionem diversi diversimodè mutarunt. Celeberrimus D. D. *Hebenstreit* mavult loco *subsistens* poni *existens*, vid. *Institut. ejusdem Logic. p. 157. Famigeratissimus Halensium* *Actus* D. D. *Christianus Thomasius* partim in *Dialago de substantia*, partim etiam in *Dodeca-de quæstio-*

224778

num promiscuar. Historico-Philosophico-Juridicar, qu. II. communem  
Substantiæ definitionem valdè exagitat, & postquam considerasset  
diversorum Philosophorum diversas substantiæ descriptiones, il-  
lasque rejecisset, putat hæcenus quidem Substantiæ Definitionem  
dari non posse. Ille verò novam eamque hanc substantiæ definitio-  
nem suppeditavit; *Substantia est ens per se sive natur aliter unitum ter-  
minos circum circa habens.* Nunc quidem fatemur à multis jam inde  
temporibus circa vulgarem Substantiæ definitionem mota fuisse du-  
bia sicut videre est apud *b. Schlegelium Diss. Acad. p. 85. sqq.* diver-  
sasque ab hac communi definitione suppeditatas fuisse descriptiones;  
postquam tamen rem exactius apud nos perpendimus, non videmus  
ullam prægnantem causam à communi Substantiæ definitione rece-  
dendi. Quod enim objectant hanc descriptionem esse negativam  
& ostendere magis quid res non sit quam quid sit, id equidem quoad  
*sensum immediatum* concesserimus, quod si tamen *sensus* respicitur  
*mediatus*, prout hæc verba; *non esse in alio tanquam in Subiecto inha-  
sionis*, etiam hunc connotant sensum; *quod extra Subiectum in ha-  
sionis existit*, non negandum videtur substantiæ communem defini-  
tionem etiam positivam esse, vid. *D. D. Treiberi Disputationum de  
Summis rerum generibus Diss. I. th. 16. §. 1. p. 25.* jam quousque veterum  
sententia sano explicari potest sensu deferenda non est, nec enim ve-  
teres de Ponte facile præcipitandi. Quæ mutationis prælaudatum  
*D. D. Hebenstreitum* movere rationes, illas nos quidem, salvâ tanti  
viri existimatione, ex diversâ phraseos *per se subsistere* videnda  
apud *Adrianum Heerboordum in Melesem. Phil. vol. 1. Diss. prælim. part.  
priori §. 6. p. 39. sq.* explicatione tolli posse, opinamur. Novam præ-  
laudati *D. D. Thomasi* substantiæ descriptionem cur acceptare non  
possimus alii jam tum ostendere vid. *B. Robij Atheistica Thomasiæ  
p. 67. sq. & D. D. Treiber. l. c. th. 14. p. 17. sqq. Conferis Dn. Præsidis Col-  
leg. Metaph. MSCum in B. Weissium part. spec. cap. 1. de substantia in  
genere, §. 1.* Ut autem è diverticulo in viam redeamus, dicimus, hanc  
substantiam quæ est ens per se subsistens, eamque non omnem, sed quæ  
est *singularis & completa esse materiale sive subjectum suppositivitatis.*  
Excluduntur ergò hic (I) *Omnia accidentia.* Quænamodum enim  
illa per se non subsistunt, sed alteri ut subjecto inhaerent, ita nec  
possunt esse supposita sed potius apposita sive supposita in iuxta cum  
*Fonseca* vocanda. [II] *Substantia unversales sive secunda*, quales  
sunt

sunt genera & species, quæ communicabiles sunt communicatione  
*scilicet per se.* Hæc autem communicatio, seu infra ostendetur;  
 Suppositalitati uti repugnat, ita nec pro ejus Subjecto substantiæ  
 universales venditari possunt. (III.) *Substantia singulares incompletae*  
*in essendo* sc. quæ ad alterius essentiam constituendam ex se & sua  
 natura sunt ordinatæ, quales sunt omnes partes tum essentielles tum  
 integrales; aliter atque ipsi Carthesiani & quidam recentiores con-  
 tendunt, qui etiam partes extra unionem spectatas supposita esse  
 volunt, de quo conf. *Dn. M. Mascou loco sepius cit. §. 6.* Sed cum hæc  
 partes sint communicabiles *communicatione quiddicativa ut Quo*, ad  
 suppositalitem constituendam nil possunt facere. Et hæc fuit  
 causa quare Definitioni suppositalitati hæc verba; *Substantia singu-*  
*lari & completa*, inseruerimus. Equidem *bb. Ebelius, Rudraufius &*  
*alii* putant *quod singulare* hic redundare, cum contineatur in voce *incom-*  
*municabiliter*, quia, quæ substantia est in communicabilis sive commu-  
 nicabiliter subsistit, illa etiam sit singularis; sed rectè *Dn. M. Mascou*  
*l.c. §. 6.* ostendit, *aliam esse incommunicabilitatem quæ entis singulari*, quip-  
 pe quæ divisioni entitativæ opponatur, *aliam verò quæ Supposito*, com-  
 petat, & hanc posteriorem, non priorem hic esse positam, ut ad eò *quod*  
*singulare* addendum fuerit, cum etiam ad meliorem & significantio-  
 rem materialis subsistentiæ (suppositalitati) expressionem faciat  
*vid. b. Ca. lov. l. c. p. m. 58. Keslerus Metaph. Phot. part. spec. p. m. 67. seq.*

§. 4. Hactenus Suppositalitati *materiale* sive *subjectum*; nunc  
 ad *formale* sive rationem ejus formalem, per quam Suppositalitas in  
 esse Suppositalitati ponitur, & ab aliis modis distinguitur. Hic  
 autem Rhodus hic salta! Quot capita, tot sensus! *svarezius* enim  
*in Disq. Met. Diff. 34. sect. 2. à n. 4. — 24. inclul. & ex illo b. Scheiblerus*  
*in Operibus Met. part. spec. cap. 2. punct. 2. n. 74. §. 99. p. 27.* Septem prin-  
 cipales diversas diversorum Philosophorum circa Suppositalitati  
*formale* sententias recensuit, quas hic exscribere nimis prolixum  
 foret. Nos illam sententiam, quæ rationem formalem Supposi-  
 talitati in ultimata & incommunicabili subsistentia, quæ sit mo-  
 dus positivus, à natura substantiali præcisivè spectata non realiter  
 distinctus, constituit, amplectimur. Hæc enim positâ, poni-  
 tur, & hæc negatâ, negatur Suppositalitas. Quocumque autem  
 positò ponitur, & quocumque negatò tollitur res, illud esse ejus  
 rationem formalem sive Conceptum formalem ex Metaphysicis  
 constat: Atque positâ ultimata & incommunicabili subsistentiâ in na-  
 tura substantiali, ponitur; illâ autem negatâ, tollitur suppositalitas

B

Ergò

Ergò ultimata & incommunicabilis Subsistentia est supposititalitatis ratio formalis. Per *ultimam* autem Subsistentiam intelligunt Autores *perfectissimum subsistendi modum*, sustentationem ab alio quacunque, quæ infert in Subsistendo dependentiam, excludentem. Undè colligitur Supposititalitatem facere, quòd natura substantialis, quæ antea per se subsistebat, sed modo imperfecto, nunc verò perfectissimè & incommunicabiliter subsistat, ita ut nec ab alia persona vel Supposito sustentetur, nec sustentari possit, nec perficiatur, nec perfici possit. Ex hac ergò ultimata Subsistentia resultat incommunicabilis Subsistentia, quæ enim ultimato & perfectissimo modo subsistunt, illa alteri non possunt communicari, ita ut ab eo dependent. Et hæc est causa quare in Definitione five mavis descriptione hæc verba; *incommunicabiliter Subsistentia*, addere voluerimus. Equidem alij propter hanc incommunicabilem Subsistentiam *τὸ ultimo* omittunt, quia hoc priori includatur, ut videre est apud *bb. Scheiblerum, Ebelium & Rudrauffium*, sed verò cum hæc incommunicabilitas in Subsistendo sit negativum, ultimata verò Subsistentia positivum quid; Ad eò melius rationem formalem Supposititalitatis declarandam, utrumq; rectè additur. Undè *b. Calovius in Metaph. divin. part. spec. cap. 5. lib. 3. p. m. 93.* Jungimus, inquit, cum *αὐτῶν ὁμοῦς* incommunicabilitatem in Subsistendo, quæ mutuo sese declarant; Non ut cum ratione formali effectum formale simul inferamus in Definitionem; sed ut formalem rationem bifariam explicemus, (ut fieri solet in rebus obscurioribus & Difficilioribus) tum positivè per *αὐτῶν ὁμοῦς*, tum negativè per *incommunicabilitatem in Subsistendo*, quæ tamen realiter idem sunt, undè etiam modo per *αὐτῶν ὁμοῦς*, modo per *incommunicabilitatem* exprimi formalem rationem absq; veritatis detrimento censemus. Hactenus Ille. Alij dicunt, rationem subsistendi ultimam formale constitutivum; incommunicabilem verò consecutivum & prioris velut effectum esse, in utraq; tamen totum formale absolvi. Clariss. Dn. M. Mascoul. c. §. 7. distinguit incommunicabilitatem in radicalem; & actualem. Illam coincidere quoad rem cum ultimata *αὐτῶν ὁμοῦς*; Hanc verò illius consequens esse. Quando verò Supposititalitas dicitur *incommunicabilis Subsistentia*, non equidem omnis hic excluditur communicatio, pluribus hoc demonstrante Clariss. Dn. M. Mascoul. c. sed tantum ea, quæ negat dependentiam ad aliud Suppositum tum actualem tum aptitudinalem. Undè alij ut *bb. Rudrauffius & Ebelius ll. cc.* hanc incommunicabilem Subsistentiam per negationem duplicis dependentiæ actualis & aptitudinalis efferre solent, *Substantia singularis etiam*

etiam est incommunicabilis, quatenus negat communicationem *κατὰ μῆδεξιν* quæ est universalium, sed cum nihilominus ab alio supposito possit sustentari & dependere, hæc incommunicabilitas non facit Suppositum. Quamquam ergo essentia divina ut sic considerata, quia est ens singulare, incommunicabilis est, ut pluribus cum sui multiplicatione communicari nequeat; quia tamen nihilominus in tribus personalitatibus subsistit, per fidem enim Christianam tres sunt in SS. Trinitate personæ, una autem numero essentia. Hinc non potest vocari Suppositum. Quod ut eo rectius ostendatur alii ex *Francisco de Picigiana in III. dist. sanct. 1. qv. 1. a. 12. Observ. i. & 2.* duplicem faciunt communicationem, alteram *quidditativam*, quâ aliquid alteri per modum causæ formalis aut quasi, suam communicat essentiam: quam subdividunt in *communicationem ut Quod*, quâ aliquid per Identitatem suam suppositis aut inferioribus quidditatem communicat, ut Animalitatis per Identitatem quidditas homini & bruto communicatur, quæ communicatio *κατὰ μῆδεξιν* vocari solet: Et in *communicationem ut Quo* quia alterum alteri suam essentiam communicat per modum *formæ, vel efficientis*, ut albedo communicat suam essentiam parieti; *vel formæ dependentis*, ut humana Christi natura divinæ naturæ. Aliam faciunt communicationem *effectivam*, quâ alterum alteri aliquid communicat per modum causæ efficientis, ut quando Pater suam essentiam communicat Filio. Nunc dicunt, Supposititalitatem negare communicationem *quidditativam* & ut *Quod* & ut *Quo*, non tamen ipsi repugnare communicationem *effectivam*, cum etiam hæc fiat ad aliam naturam. *vid. b. Calovius l. c. cap. 3. Porism. 3. p. 46.*

§. 5. Diximus autem formalem rationem Supposititalitatis sive ultimam Subsistentiam esse modum, non rem aut ens positivum, sic enim diminutam tantum habet entitatem, & cum immediatè ipsam afficiat Substantiam, rectè modus positivus substantialis dicitur. Latius & fusius hoc deduxerunt *Excellent. Dnus. M. Pascha in sua Ontolog. p. 821. sqq. & Clariss. Dnus M. Mascou l. c. §. 5.* ubi etiam ambiguitatem vocabuli *modi* evolvit. Restaret nunc ut probaremus, hanc ultimam subsistentiam superaddere ipsi naturæ aliquid positivi in creatis realiter, in divinis autem solâ ratione ab ea diverſi, sed cum multi Philosophi jam ante nos prolixè hanc præstiterint operam, nominatim *Syarezius l. c. sect. 4. n. 24. sqq. Bb. Scheiblerus l. c. punct. 3. n. 82. sqq. p. 28. Donati Colleg. Metaph. MSCIO cap. 34. th. 6. & Autores ibi citati, Clariss. Dnus M. Mascou. l. c. §. 6. & alii*, non est, ut prolixè huic rei probandæ immoremur, unico saltem contenti erimus Argumento, quod eò redit; *Aut formalis ratio suppositi sive ipsa Supposititalitas est quid positi-*

rum, aut negativum. Non hoc, quia (α) mera negatio substantiam intrinsecè non potest perficere, (β) entia multiplicantur sine necessitate, nam alia sic esset ratio in Suppositualitate divina, alia in humana querenda. (Jam verò ad hoc argumentum pro sua sententia acerrimè provocant dissidentes, qui pro duplici negatione pugnant, cum tamen modus tanquam diminuta entitas nullam entis multiplicationem inferat.) (γ) sic nulla daretur nec dari posset unio nature substantialis create ad suppositum creatum, nam negatio ut sic non potest esse terminus realis unionis. De mysterio S. S. Trinitatis & Suppositualitate divina Christi nature ad humanam nihil addam, quia dissidentes excipiunt, non hic de Suppositualitate increata sed create queri vid. Rudrauss. l. c. p. 639. 642. Ebelius Oper. Phil. p. 193. Relinquitur ergò quod sit aliquid positivum. Nunc porro inferimus: Si itaq; est quid positivum, ergò est vel res positiva, vel modus positivus. Non est res positiva, sic enim vel pertineret ad essentiam nature (substantialia intrinsecè esse q; ab ea indivisibilia, quod falsum esse ostendit exemplum humane nature in Christo; Quo ipso concidit illorum sententia, qui Suppositualitatem etiam increatis pro solo conceptu rationis habent; vel non pertineret & sic Suppositum & natura constituerentur ens per accidens. Errant ergò illi, qui accidentia individualia defendunt. Manet itaq; modus positivus. At ille non est existentia, nec independentia à Subiecto inhesionis, vel singularitas, quia unum quodlibet eorum jam tum in materiali supposito includitur, vid. Donati l. c. ch. 4. nec est habitudo ad existentiam & per extrinsecam denominationem, quia, (sunt verba b. Calovii l. c. p. 59.) Subsistentia incommunicabilitas non est quid merè extrinsecè denominans Substantiam sed potius intrinsecè eandem complens in Subsistendo. Ergò est ultimata & unum q; sic sive ultimata & incommunicabilis Subsistentia sive Perseitas subsistendi, atq; adeò ratio formalis suppositi sive Suppositualitatis est modus positivus, quod erat demonstrandum. Objectiones contra nostram sententiam ob breviter hic non adscribimus, sed conflictui reservamus.

§. 6. Explicatà sic Suppositualitatis Descriptione, breviter sensum ejus in exemplo & simili representabimus. Petrus duo habet, primò naturam rationalem, secundum quam est homo, dein hanc naturam rationalem in Petro immediatè afficit modus aliquis positivus, ut Petrus nec dependeat nec dependere, nec sustentetur nec sustentari possit à Paulo vel alio quocunq; homine, sed suam ipsius habeat sustentationem, & hic modus vocatur Suppositualitas, quæ, si per potentiam DEI à Petro separaretur, (posse autem illam separari vel solum humane nature in Christo exemplum probat, à qua separata est) nihil obstaret, quo minus

minus per eandem divinam potentiam hæc natura Petri posset cum natura Pauli vel alius uniri & ab ea sustentari, atque adeo compositam ex Paulo facere personam, perinde ut  $\alpha\gamma\theta\ \delta\omega\alpha\rho\kappa\theta$  unitus cum humana natura  $\delta\iota\upsilon\mu\sigma\epsilon\iota\tau\theta$  illiq; suam hypostasim communicando, facta est persona composita, cum ante hanc unionem esset persona simplex, vid. b. Calovius Mer. divin. part. spec. p. m. 94. Res potest comparari pedi sive fulcro poculi vel vitrialicujus. Quemadmodum enim poculum vel vitrum à pede sive fulcro, cui innititur, habet, ut possit per se stare & poni, ubicunqve libuerit, si verò pes sive fulcrum hoc est ablatum, vitrum vel poculum quidem manet vitrum sive poculum, si tamen ipsi vinum vel cerevisiam infundere velis, necessè est, ut manu illud prehendas, teneas & sustentas, nisi omnis cerevisia vel vinum effundi debeat. Planè eodem modo sese res habet cum Suppositalitate in naturis substantialibus. Huic enim tanquam pedi sive fulcro innituntur, & hæc facit, quòd natura substantialis non ab alio sustentetur.

§.7. Atq; ita putamus Suppositalitates naturam sufficienter esse expositam. Concretum ejus, sive id, quod ex natura substantiali concrevit vel componitur quod Suppositum vocari solet, quod attinet, putamus illud quid sit, ex hæcenus dictis facile constare. Describimus illud *per Substantiam singularem completam ultimam & incommunicabiliter subsistentem*. Non est, ut huic definitioni explicandæ multis immoremur, cum ex hæcenus dictis facile illa constet; sufficiat exemplo illam declarasse. Sumamus hunc canem qui v. g. dicitur Phylax, hic est Suppositum, quia est (a) *Substantia singularis* nec enim dividi potest in plures canes qualis est ipse, (b) *completa* ex se enim & sua natura hic canis non est ordinatus ad complendam essentiam alterius canis, (c) *ultimam & incommunicabiliter subsistentem*, quia non potest cum alio cane ita uniri ut ab eo dependeat & cum eo unum faciat canem. Et cum Suppositum præter ea, quæ hic annotata fuere, aliquando habeat intellectum sive intelligentiam, ut videre est in substantiis rationalibus, DEO, Angelis & Hominiibus, Autores suppositum dispesci solent, *in generale*, quod in se & sua ratione intellectum non involvit, quod etiam vocari solet suppositum in abstractione tale; & *speciale*, quod Personam vocant, quæ dicitur suppositum intelligens. Quidam, ut Bb. Calovius, Keislerus & c. porrò suppositum, in *simplex*, quod unam naturam; & *compositum*, quod duas habet naturas, quarum altera alterius hypostasi subsistit, dividunt. Circa quam divisionem notamus, illam in Christo  $\theta\epsilon\omega\ \text{I}\ \rho\acute{\omega}\nu\ \theta$ , quæ ppe qui duabus naturis & una personalitate constat, suppositum compositum

positum rectè dicitur, undè etiam Theologi Christum vocant personam  
*σύνθετον*, procedere; an verò suppositum in abstractione tale ita dividi  
possit, ut & alia præter Christum exempla v. g. Salis in aqua, ignis in  
ferro &c. ad suppositum compositum trahantur, hodierni Philosophi  
dubitant *vid. Excellentiss. Dn. Pasch. in sua Ontolog. p. 817. seq.* Et cœtera.

§ 8. Restat nunc ut horum usum in Theologia breviter  
commonstremus. Et ut distinctè hic procedamus, rem totam bre-  
vibus comprehendemus Aphorismis. Latiusenim hæc deducere no-  
stri non est instituti, præterea etiam alii ut *Bb. Keslerus, Calovius, Lic.  
Meierus, Donati &c.* prolixè satis hanc præstiterunt operam. Sit ergò  
Aphor. 1. *Non ideo quia tria in divinis sunt Supposita tres etiam sunt Sub-  
stantia & essentia.* Observamus hoc contra *Anti-Trinitarios*, qui My-  
sterium S. S. Trinitatis hoc inter alia impugnare satagunt ariete;  
*Si tres sunt in divinis personae, tres etiam erunt Dii sive essentiae divinae, cum  
multiplicatis personis multiplicentur essentiae.* Obvertimus his nostrum A-  
phorismum, quem nunc probamus exindè, quia Suppositum est mo-  
dus, substantia verò ejus materiale sive subjectum. Nunc nihil  
obstat in uno eodemque subjecto plures esse modos. Ita in Petro se-  
dente duo dantur modi; alter est unio animæ cum corpore, alter  
est ipsa sessio; imò, si illum ut ens consideres, habet unitatem, ve-  
ritatem, bonitatem &c. qui sunt plures modi. Quis autem hinc  
inferret; Ergò Petrus etiam multiplicatur! In humanis quidem ita  
se res habet, multiplicatis personis & suppositis multiplicantur es-  
sentia, sed hoc exindè est, quia persona hic est finita & multis mo-  
dis imperfecta, sed cum in divinis persona sit perfectissima & infi-  
nita, plura ibi esse supposita nec tamen plures essentias, quemad-  
modum de fide certum est; ita ex hac infinitate sequitur. Quidam  
Scholastici nihilominus tres dixerunt in divinis substantias sine es-  
sentiarum multiplicatione de quo *Rudrauff. insit. Met. p. 631.*

§ 9. Aphor. II. *Una ergò essentia plures potest habere suppositali-  
tates.* Ex priori Aphorismo hoc sequitur, quia enim ex suppositali-  
tatis multiplicatione non necesse est ut multiplicetur essentia & sub-  
stantia; per se patet non repugnare, unam essentiam tribus suppo-  
sitalitatibus esse insignitam. Non ergò contra rationem est, ut ca-  
lumniantur *Anti-Trinitarii*, unam eandemque essentiam Patris esse eti-  
am essentiam Filii & Spiritus S. distinctis quæquam characteribus per-  
sonalibus insignitam. Nulla tamen hinc sequitur compositio, quasi  
ideo Deus realiter esset compositus, quia ejus essentia tribus constat  
personalitatibus. Nec enim modus suppositalitas in Deo ab essentia  
divina

divina, cujus est modus, ut in creaturis, realiter est distincta & se-  
parabilis. Philosophi *virtualem distinctionem majorem*, quæ datur in-  
ter terminos contradictorios, hic esse contendunt, quæ proximè ta-  
men ad realem distinctionem accedat, *vid. Rudrauffus l. c. p. 112.*

S. 10. Aphor. III. *Quaquam suppositivitas ab essentia divina non  
sit distincta; Supposita tamen in illa realem admittere distinctionem inter se  
invicem credimus.* Quia modi hic sunt oppositi. Sic enim Paternitas  
Filiationi & Spiritationi passivæ opponitur, quæ autem sibi opponuntur  
per modos oppositos, illa à Philosophis realiter distingvi dicuntur, alia  
argumenta relinquimus Theologis. Notamus hoc contra *Sabellium*,  
ejusq; *assectas*, qui tria tantū hic finxerunt nomina. *vid. Stockm. Elucid. p. 533*

S. 11. Aphor. IV. *Suppositivitas potest alteri naturæ communicari,  
quaquam in ordine ad alterum Suppositum sit incommunicabilis.* Docet  
hoc nos exemplum Christi cujus humanæ naturæ *ὑποστάσις*, sive Suppo-  
sitivitas communicata est, quia illa subsistit, nec enim alius quàm *ἰσὺς*  
secunda persona Trinitatis humanam naturā in personæ unitatem assu-  
mit. Incomprehensibile autem est hypostasi divinā subsistere nec tamen  
hanc esse communicatam. Notamus hoc contra *Maresium* ejusq; *assectas*  
qui ut Idiomatum divinorum ita etiam *ὑποστάσις* divinæ communica-  
tionem humanæ Christi naturæ factam negant. *vid. Calov. p. 45. seq.*

S. 12. Aphor. V. *Quia actiones & Passiones sunt Suppositivorum (ulti-  
mata enim Subsistentia tanquam substantiarum complementum necessaria  
prærequisa conditio est agentis & patientis) rectè hinc nostri Theologi  
Filij DEI & Spiritus S. personalitatem; & realitatem passionis & mortis à  
Deo factæ probant.* Et primum quidem quia Filio Dei & Spiritui S. talia  
in scriptura sacra attribuuntur prædicata quæ actionem & passionem  
involvunt. Nunc verò agere & pati de suppositis tantum dicuntur  
& cum Filius & Spiritus S. talia sint supposita quæ intellectum ha-  
bent, rectè de illis dicitur quod sint personæ *vid. b. Scherzner Syst. Loc.  
de DEO p. 75. seq. D. D. Hebenstreit Phil. prima p. 259. seq.* Quod ad poste-  
rius attinet, cum redimere genus humanum, quod actionem & passio-  
nem sub se in cludit, Filio Dei secundæ Personæ S. S. Trinitatis, in scri-  
ptura S. passim attribuatur, quis non hinc inferret: Ergò non solà  
humana natura sed tota persona est passa & mortua, nam sola huma-  
na natura non est persona vel suppositum. Aut ergò Deo tanquam  
personæ talia prædicata competunt; aut natura aliqua per se & ulti-  
matò, quod hætenus est contra receptam philosophorum sententi-  
am, agere & pati dicitur. Ex quo nunc colligimus, rectè in c. anti-  
one; *Ἐστὶν ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ ἡ ἐκείνου;* verba hæc; *Ἐστὶν ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ ἡ ἐκείνου;*  
tineri

tineri quippe quibus verbis adversariis omnis elabendi rima præcluditur, dicentibus; Deum quidem esse mortuum sed in proprietate humanæ naturæ, quod vocant *αλλόωσιν* à Zwinglio excogitatum. Si enim particula *selbst* Deo adjiciatur, omnis persona, quæ non est Deus, hæc excluditur. Et inauditum est, in Lingua germanica particulam *selbst* habere vim reduplicandi, ut verba; *Gott selbst, liget Tod* / hunc connotent sensum: Deus quatenus Deus est mortuus, sive Christus secundum divinam naturam est mortuus. Quid si enim contra Solimanios & alios defenderemus: *Gott selbst ist Mensch geworden* / ad excludendam aliam personam (quod utiqve defendi debere Christiana requirit fides) an hinc inferes; Deus quia Deus est homo factus, sive divina natura est incarnata. Ut taceam hanc loqvendi formulam occurrere Rom. VIII. 32. ubi particula *αυτῶς* germ. *selbst* in textu græco occurrit. De alia loqvendi formula priori fortassis auditu duriore; *Gott hat NB mit seinem eigenen Blut Ihme eine Gemeine erworben* Act. XX, 28. nunc nihil dicemus. Sed hoc tantum, si & hac & simili loqvendi formula scripturaria vulgus probè informatum (ita enim ministris Ecclesiæ incumbit probè suos auditores in talibus auditu durioribus & rationi nostræ imperviis formulis scripturariis informare) nullum capit scandalum, nec ex his verbis; *Gott selbst liegt tod* / scandalizatur. Sed de his fusius agere nostri nunc non est fori, alibi fortassis plura de hac re dicendi occasio dabitur. Interim hoc ultimum circa verba cantionis pace Ven. Dn. Theologorū nequaquam eum in finem, ut ex Theologiæ quasi meditullio controversia accerferetur, quod Theologorum esse libentissimè agnoscimus, fuit adjectum; sed ut hoc quoque exemplo & occasionaliter tantum argumentum nostrum de supposito illustraretur, simulqve quid vox *IPSE* vel *Selbst* in ejusmodi exemplis vel importet vel non importet, ex usu partim communi & Ecclesiastico, partim etiam scripturario ostenderetur,

#### CONCLUSIO

Hæc sunt B. L. quæ de Suppositalitate tecum communicare voluimus. Latius & accuratius hæc deduci potuissent, sed memor esto virium nostrarum tenuitatis, temporisqve & chartæ, intra quam hæc consignari debuerit, angustia. Fruere his feliciter, & ubi erratum fuit nobis, quæ autem rectè posita DEO accepta fer. Cui sub finem gloriam dicimus seculis non terminandis,

**TANTUM.**



Væ Tibi continuis quæ sita Scientia curis  
 Et fuit assidui parta laboris ope.  
 Hæc eadem meritæ Tibi tradit præmia palmæ,  
 Te quoq; Doctorum connumerando choris.  
 Gratulor, & dignam voveo Tibi cedere pridem  
 Personam existoc nomine Suppositi.

*Benevoli affectus celebrandi causa l. m. g. scripsit*

BERNHARD. BARNSTORFF, Med. D. P. P.  
 & p. t. Academiæ Rector.



**S**uppositum quid sit, quosque ista scientia fructus  
 Theiologo pariat propria cura TIBI est;  
 Scilicet ut studiis substernas fundamentum,  
 Quo sine nil solidi sacra tenere queunt.  
 Sit TIBI Sancta Trias studiorum fons & origo,  
 Postremo optato fine coronet opus.

*Clarissimo Dno. Respondenti de publico singularis diligentia &  
 honorum studiorum specimine L. M. n. g. gratulatur*

JO. FECHT, D. atq; P. P. Conf. Duc. Adseff.  
 & Distr. Rost. Superintendens.



**G**ratulor hoc doctum Spe imen Doctissime SCHÜTZI!  
 Magna reservavit Magnus Apollo Tibi.

*Sic gratulatur ac ominatur Cl. DN. Respondenti Fautori  
 ac Amico suo optimo l. m. g.*

Z. GRAPIUS, D.



**D**u führest Wehrtester! den Nahmen mit der That;  
 Ein Schütze muß das Ziel durch zielen wol er-  
 reichen!

Du zielest glücklicher als viele deines gleichen;  
 Wol dem der bey der That also den Nahmen hat!

Drüm

Drum ziele und spiele mit frölichen Mienen /  
Das Glück sich schicke dir künfftig zu dienen.

Mit diesen wenigen wolte dem Hn. Resp. als seinem wehrteschätz-  
ten Freund/ und fleißigen Auditori schuldigt gratuliren  
M. HERM. CHRISTOPH. Engelcken/ Mecklenb.

**Q**uid iuvat Aönia Sophies sudasse sub umbrâ?  
Quid iuvat & multis incubuisse libris?  
Ni Patriæ mentis depromas dona sagacis

Et videat partas moris & oris opes.

Nam Patriæ fructus nobis luçantur honores,

Vivimus & Patriis Marte & Arte focis.

Non tumulemus opes, læto spectanda theatro

Non umbra est virtus ista tegenda levi.

Hæc Tibi sunt etiam, SCHÜTZI doctissime, curæ

Omnibus ingenii dum bona parta probas.

Ergò matura dum ridet messis in herba,

Mox capiet fructus Patria grata suos.

*Hisce Auditori in Collegiis Metaphysicis & Pbyfico perquam indu-  
strio & Respondenti optimo gratulabundus applaudere volebat*

PRÆSES.

**W**as Wunder ist es denn das heut beglücket gehet

Herr Schütz mit Tugend Glanz zum Ehren Tempel ein /

Und an der hohen Stell der Edlen Musen siehet /

So muß dem Tugend Bild die Ehr nicht ferne seyn.

Hiermit wolte seine Schuldigkeit gegen seinen wehrtesten Freunde ablegen

T. C. Barpart/ Dramb. March. SS. Th. St.

**Q**ui modo se doctis belli decernit arenis,

Appositæ laudis digna brabæa capit.

Hincce sagittiferum Te præbens, candide SCHÜTZI,

Solertem ostendis doctus in arte manum,

Auguror; hinc venient solemnia præmia pugnæ,

Præmia, quæ tandem dexter Apollo feret.


*Suo olim in Gym. Colon. quod Berolivi foret Commilitoni,*

*nunc Amico optimo hisce gratulatur*

MARTINUS Wilcke / Brand. March.







und Spiele mit frölichen Mienen /  
 sich schicke dir künfftig zu dienen.  
 Wenigen wolte dem Dn. Resp. als seinem wehrtschick  
 / und fleißigen Auditori schuldigst gratuliren  
 M. CHRISTOPH. Engelken/Mecklenb.

**Q**uia Sophiae sudasse sub umbrâ  
 & multis incubuisse libris?  
 is depromas dona sagacis  
 is moris & oris opes.  
 Nam Patria lucrantur honores,  
 Vivimus & Arte focis.  
 Non tumulem Spectanda theatro  
 Non umbra eenda levi.  
 Hæc Tibi sunt etiam doctissime, curæ  
 Omnibus ingenia ta probas.  
 Ergò matura dum rica erba,  
 Mox capiet fructus  
 Hisce Auditori in Colleg  
 srio & Respondenti op

**W**as Wunder ist es denn das  
 Herr Schuß mit Zug  
 Und an der hohen Stell der  
 So muß dem Jugend Bild  
 Hiemit wolte seine Schuldigkeit gegen  
 T. C. Barpart/Dra

**Q**ui modo se doctis belli, decernit  
 Appositæ laudis digna brabæa  
 Hincce sagittiferum Te præbens, c  
 Solertem ostendis doctus in arte  
 Auguror; hinc venient solemnia præmia p  
 Præmia, quæ tandem dexter Apollo feret.  
 Suo olim in Gym. Colon. quod Beralini fore  
 nunc Amico optimo hisce grat  
 MARTINUS Wilcke / Brand